

2058. XI, 8-4 — Carta enviada aos católicos de Inglaterra. (*Responsio ad postulationem catholicorum, qui sunt in Anglia*). 1546 (?). — Papel. 8 folhas. Bom estado.

Responsio ad postulationem catholicorum qui sunt in Anglia.

Pax Christi quae exuperat omnem sensum custodiat corda vestra et intelligentias vestras fratres amen. Aequae atque honestae postulationis ad nos ex Anglia perlatae hoc est exemplum.

Religione in Anglia mutata et poena proposita si quis diebus dominicis et festis a templo abstineat interim dum psalmi et ex utroque testamento lectiones ling[u]a vulgari recitantur laici multi et catholici nobiles et Deum timentes partim jam carcerem agentes partim mox eo coniiciendi amicorum et consanguiniorum precibus admonitionibus et imminentium periculorum metu invitantur ut saltem eatenus de sententia educi se permittant ut in templis protestantium tantisper interesse velint diebus

dominicis et aliis festis dum psalmi eorum more lingua vulgari decantari soliti et lectiones ex Bibliis lingua item populari depromptae necnon contentiones quae ad eorum dogmata approbanda apud populum frequentius habentur commemorantur et fiunt. Jam qui hucusque nullo modo adduci potuerunt ut publicis praedictis precibus et contionibus interessent magnopere edoceri postulant quid iis faciendum censeant viri docti ac pii nam si nullo animae periculo aut nulla Dei offensione publico regni sui decreto parere et obedire liceat libenter id ficerint.

Contra vero si quod in hac re periculum sit salutis aeternae aut lesae divinae majestatis quidvis perpeti decreverunt potiusquam quidquam agere aut committere unde Deum offensum iri aut iratum intelligent.

Haec questio (*1 v.*) cum multas pias mentes et religiosas conscientias extorqueat et conturbet rogandi estis omnes per viscera misericordiae et charitatem quam Christus a suis omnibus exigit ut eam palam et dilucide quamprimum expediatis qua multi in hoc regno implicati torquentur.

Quod haec charta complectitur nullius nomine singulariter profertur quare non ad unum aliquem pertinet quod hic petitur sed ad omnes fere nobiles quos Anglia habet catholicos quibus jam multis modis pericula intentantur his universis in tua illustrissima dominatione magna auxili spes fulget si eadem vel Dei vel nobilitatis respectu agere dignabitur cum amicis quos in concilio habet Tridentino ut huic questioni totius nobilitatis nomine his adjuncta est responsum maturum et deliberatum accommodetur et huc commode tuae dominationis opera perforatur. In quo haud dubie acquiescant perturbate nunc conscientiae si ex te tam sancto et nobili patre certiores fieri possint quid patres de hac re judicent. Quamquam fortassis tutum non fuerit hanc questionem publice in concilio proponi ne res divulgata nostrorum protestantium animos exacerbet et aliquibus periculum acceleret nisi tuae prudentiae aliter videatur.

Ideo tua prudentia consultius fecerit si ita cum selectis quibusdam hanc causam egerit ut quod ipsi in hac causa piissimis et doctissimis theologis consultis significaverint id perinde valeat ac si universi patres sententias dixissent.

Ceterum hoc totum tuae dominationis iudicio ac arbitrio relinquere satis sit ut ipsa quod magis in (*2*) rem esse prospiciat id libere agat qui in Anglia nunc sunt theologi partim metuunt partim varie respondent ideo plene omnibus satisfaciet quod te procurante ex Tridento huc respondebitur.

Pro quo vestro tam firmo christiano et vere religioso animo non possunt omnes vere christifideles non Deo Optimo Maximo summas gratias agere et vobis maximopere gratulari et si. N. calamitatum vestrarum sensus cunctos vehementer tangat et cruciet ut christiana charitas horretatur quae tam arcto necessitudinis vinculo omnes devinctos et constrictos tenet ut mutua efficiat membra atque ita fratrum commoda et incomoda non aliena sed propria ducit in illis tamen est non minima consolatio quod calamitosis hisce temporibus et in eo potissimum regno in quo fides reli-

gioque misere jacent cernimus nullo injuriarum concursu aut metus vicha-  
ritatis vestrae ardorem extingui aut fidem convelli aut constantiam labefac-  
tari quin imo eos vos esse qui in tanta rerum omnium confusione  
molestiarumque turbulentissima tempestate nunquam curvaveritis genua  
ante Baal non sine magna divini nominis christianaequae disciplinae  
gloria. Ne igitur vester hic constans animus qui nullis incommodis ad  
impietatem torqueri flective unquam potuit fallacibus rationibus ad ves-  
tram pernitiem comparatis aut divinae legis ignoratione pietatisve simula-  
latione deciperetur christiani hominis officio debitum existimavimus  
minime rati fratrum nostrorum animos deliberando tamdiu distrahi anci-  
pitique cura (*2 v.<sup>o</sup>*) torqueri verum eorum saluti consulentes ipsis signi-  
ficare quid hac in re cum divina voluntate sacris litteris consignata et  
explicata magis consentiat. Permulti igitur patres et theologi qui hanc  
provintiam vestra causa suscepserunt libenter cum saepe convenissent  
atque diligenter et circumspecte divina oracula et sanctorum patrum  
sententias et instituta deliberando evoluissent communibus suffagiis con-  
cluserunt minime vobis sine magno scelere divinaque indignatione licere  
hujusmodi haereticorum precibus illorumve contionibus interesse ac longe  
multumque spectare quaeviis atrocissima incommoda perpeti quam in  
profligatissimis sceleratissimisque ritibus quovis signo consentire.

Cum. N. impia lex in animarum exitium lata et scisma confirmare et  
ecclesiae catholicae integritatem romanae sedis quae a Christo est sum-  
mus ecclesiae suae vertex in terra perfinita nepharie autoritatem con-  
vellere et labefactare moliat quicumque iniquae legi paret illam quoad  
ejus fieri potest tacita consentione approbat in eandemque conspirat atque  
ejusdem scismatis particeps fiat. Si N. vetera ecclesiae monumenta reti-  
nueritis sanctorumque patrum scripta accurate ac studiose evolueritis  
facile intelligitis non minori studio semper catholicos viros hosce hereti-  
corum conventus et ritus quam haeresim ipsam etiam cum certissimo  
capitis periculo declinasse. Utqui erant persuasi non posse haeresis notam  
subterfugere qui ad preces et ritus haereticis pecculiares convenienter. Ut  
.N. vetustissimum Machabeorum (*3*) interitum omittamus qui praeclaram  
mortem occubuerunt ne nepharii Antiochi conatibus in divinae legis  
labemparatis obtemperarent si eorum quae Athanasius scribit de cala-  
mitatibus quas sua tempestate ecclesia Christi perpessa est memoriam  
repetatis videbitis quot (*sic*) non solum ex episcopis sed ex laicis omnibus  
ingentem malorum iliadem sustinuerunt acerbissimisque mortis generibus  
interierunt ne in ecclesiis hereticorum sacris misteriis divinisque ceremo-  
niis adessent quanvis eo tempore in his peragendis veterem ecclesie morem  
retinuerint haeretici nihilque de illo prorsus mutassent. Cum N. in templis  
sacris misteriis interesse maximum sit fidei et religionis inditum sapienter  
existimaverunt pii homines facto se scismati consentire et heresim illam  
approbare a qua animo tantopere aborrebat si una cum hereticis in  
ipsorum templis ad sacra ab ipsis peracta audienda convenirent. Siqui  
vero periculorum atrocitate deterriti conveniebant male semper apud

viros pios audierunt quantumvis veram et incorruptam fidem animo illos retinere intelligerent. Quanto igitur justius fidem viri sanctitatis splendore clarissimi si omnes ecclesiasticos ritus scismate nunc universos cernerent novum cultum ut res ipsa pre seferit in contemptum catholicae ecclesie introductum contiones nimia varietate blasphemarum confertas omnia denique ad catholicam unitatem dilacerandam comparata admadverterent eos impietatis damnarent (*3 v.*) qui legis immanitatem formidantes ab hisce sceleratissimis conventibus sese non segregarent et sejungerentur ut Dominus filios Israel a tabernaculis Core Dathan et Abiron segregare precepit ne eisdem iniquitatibus inquinati parique scismate involuti simili ultione perirent. Quibus accedit quod si vos tandem forti et infracto animo sceleratos hereticorum conventus funditus repudiastis nunc tandem timore consternati iniquae legi obtemperantes aliquid de vestra pristina constantia animique firmitate remittatis fieri non potest quin fidei et religionis hostes glorientur atque de ecclesia catholica tanquam insigni quaddam peracta victoria triumphent et sua prava dogmata vestra infirmitate apud suos stabiliat atque ita qui ecclesie catholicae communi fidelium matri insigni estis decori et ornamento hac hereticorum insolentia opprobio esse incipiatis quam hereticorum deliram insolentiam insanumque triumphum divini honoris inflamatus amor christianaque charitas tantopere semper perhorruit ut ad illa comprimenda nulla pericula declinaverit.

Quocirca sancti patres a quibus christiana disciplinae leges discimus una affirmant quod tamen si sepe quivis veram fidem occultare et disimulare rite possit ut a sanctis martiribus factitum legimus si merito tandem quis vereri possit ne ea fidei suppressio hanc infidelium contra divinum nomen insultationem divinaeque gloriae abjectionem (*4*) pariat minime quidem sine gravi scelere divinique honoris proditione poterit diutius delitescere. Divinae N. gloriae amor tam tenaciter debet christianis animis inherere et infigi ut pro illa tuenda et amplificanda cum opus fuerit se suaque omnia forti et constanti animo in discrimen offerant et id quidem est Deum toto corde ac universis viribus diligere illumque totis visceribus complecti ingrati .N. animi est illius honorem negligere aut quovis terrore aspernari qui se ipsum turpissimae morti tradidit ut hominem a peccatorum dedecore vendicaret et gloriam filiorum Dei ascisceret.

Deinde animadvertisse quale quantumque scandalum possitis concitare inter eos qui in eodem regno degentes nondum tamen illis fidei lux plane oppressa est. Qui etiam si pusilanimitate non ausint nefarie legi repugnare vestram tamen constantiam non poterunt non demirari illaque quo clarius resplendescet magis ac magis incitari quam si vos viderint abjicere jure poterunt existimare nunc tandem illam heresim vobis placuisse cuius ritibus favere praे vobis fertis non obscureque indicatis et quo magis ceteris generis splendore et nobilitate preritis eo vestrū erit exemplum perniciosius verique debetis ne qui semper preclarum religionis et pietatis exemplar extitistis nunc tandem impietatem in pusillorum animos infun-

datis ne ve illa fidei (4 v.) et pletatis scentilla quae in illorum lucet  
mentibus vestra simulatione extinguitur. Nam cum summa christiana disciplinae divus Paulus in proximorum officiosa dilectione collocaverit semperantiqui patres existimaverunt nunquam christiano homini licere fidem obtegere quando aut fratrum impendet ruina aut si illa aperiatur patefiatque fidei eorumdem fratrum augmentum firmitudoque speratur cuius nobis praeclarum exemplum prodidit illustris martir Sebastianus ut fidem quam occultaverat ut christianorum rebus affictis prospiceret (erat. N. Caesari valde charus) patefecit et Martirum quos ad necem duci cernebat constantiam fidemque confirmaret atque ita eadem charitas quae fidem inter pectoris angustias concluserat edidit et promulgavit officiosa. N. charitas cum non querat que sua sunt sese ad omnium necessitates accommodat et tum maxime suis rationibus consultit cum alienas propriis praefert.

Ut supersedeamus reliquis fidelibus in exteris provinciis degentibus quibus tamen res omnes in ipso regno gestae notae sunt et exploratae iis .N. cum intuentur vos tot laboribus exagitatos vitae periculo expositos bonorum pereni quadam jactura statuisse tamen omnem cruciatum perferre potius quam fidei depositum vobis a Christo creditum cum rerum omnium affluentia deserere ac prodere estis singulare (5) quodam virtutis documentum atque ad praeclara facinora libenter subeunda incitamentum. Nec .N. possunt non vestram faelicitatem suspicere et praedicare qui persecutionum propter justitiam perpensione vobis ad regnum caelorum viam munitis atque ut illam perpetuo conservetis a Deo Optimo Maximo perennibus deprecationibus contendunt fieri autem nequit quin tanto majus scandalum apud illos incitetis quanto prestantius virtutis specimen praebuistis quae quantum cum christiana disciplina et charitate pugnant nemo non videt.

Haec vero quanquam satis firma argumenta ad vos ab hujusmodi conventibus arcendos etsi tamen illa non extarent vel hoc unum sufficere ad nostram hac de re sententiam confirmandam quod omnium aetatum experientia et sanctorum patrum admonitionibus atque certae naturae ipsius impulsu didiscimus natura comparatum esse ut humanus animus flexibilis inconstans et commutabilis facile ab his quae frequentat capiatur et demulceatur atque quae principio perhorruerat paulatim et sensim in eorum animos se insinuant atque incipient nimia consuetudine placere quae maximopere antea displicuerant non secus atque modicum fermentum totam massam corruptit. Quare Christus Jesus humani generis doctor et redemptor a fermento phariseorum cavere discipulis praecepit. Quantum igitur nunc constanti sitis animo et a sceleratis (5 v.) conventibus ritibus que alienato fieri non potest nisi humanitatem exuatis ut illos sine magno periculo ventitetis. Id quod in frequentanda hereticorum doctrina multo magis cernitur quae velut contagium cerpit et grassatur animos que audientium nihil minus saepe cogitantes pravis opinionibus

imbuit et inficit. Ideo vero non metuere insignis est improbitatis aut insolentiae argumentum.

Quocirca Divus Paulus tanto studio pravis colloquiis cunctis fidelibus interdixit ut quae ad corrumpendos bonos mores plurimum valent. Unum extat proverbium qui sese in apertum periculum conjicit peribit in illo. Tametsi N. tali periculo minime laedatur criminis tamen reus est qui sese in illud temere praecipitavit et sola temeritate divinam laesit majestatem si qui vero tanta fuerint doctrina constantia et egregiis animi dotibus praediti ut intelligent se nullis pravis opinionibus infici posse aut contaminari habeant tamen reliquos existimaturos sibi omnia licere quae illorum documento dediscerint atque ita fratres suo exemplo perdent quos eo magis servare opportuit quo pluribus et praestantioribus sunt a Deo beneficiis cumulati. Jamvero perpenditi quales tandem filii vestri sint evasuri si vestro exemplo illorum tener animus tam sceleratis ritibus et tam nephariis (6) paeceptis institutis que assuefiat nec N. domestica disciplina tunc valere poterit ad illorum mentes pietate et religione imbuendas quantum publica et externa ad illas inexpiablem scelere pervertendas fere N. fit ut zizania triticum premat his et non paucis aliis rationibus commoti quas longum esset et non necessarium commemorare. Judicaverunt patres et theologi animarum vestrarum saluti expedire patria potius cedere aut quaeviis miserae et afflictiae fortunae tella forti et infracto sustinere animo quam iniquissimis legibus cum fidei et religionis dedecore ulla ratione parere etsi N. divina lex sacris litteris consignata et explicata civiles leges sancte augusteque sequi et colere et principum quorumvis habere autoritatem sacrosanctam doceat omnibus tamen humanis legibus divinas atque adeo Dei nutu et arbitrio esse paeferenda magistra ac duce natura et eadem divina lege discimus. Caesari N. redere paecepit Christus quae illius sunt Deo vero in primis quae illi maxime sunt debita. Quantum etiam Divus Petrus qui tam multis persuadet perpetuam atque constantem esse Dei voluntatem ut regibus pareamus dominis que subdit simus non tantum bonis et modestis sed discolis ac pravis. Cum tamen de divino agitur honore obtemperandum esse Deo magis (6 v.) quam hominibus aperte et constanter coram universo senatu clamat atque testatur.

Quocirca fratres dilectissimi facite ut ita omnibus in rebus quae cum divina voluntate non pugnant principum vestrorum legibus obteneritis illorumque auctoritatem tueamini ut intelligent vos hac una in re non tam illorum instituta contemnere quam divina humanis ut par est anteferre. Quod si ad vestrarum constantiam tuendam et amplificandam persuasionibus et exemplis egere arbitraremur domestica quidem tot et tam paeclara non modo majorum nostrorum monumenta sed aequalium et amicorum memoriam suppeditant ut in externis inculcandis frustra laboraremus. Ubi N. terrarum fidem acerbe insectatam vehementerque exagitatam constantius nervosius acrius majorique animo religiosi et pli homines defenderunt et tutati sunt quam in Anglia atque

ita cum hoc vestrum regnum fidem oppugnatam saepius laceratamque acerbe in illo fuisse habeat cum multis connexionem tamen quadam constantia et firmitudine cum paucis est admodum conjunctum et copulatum. Nec tantam potuit ex oppugnationibus contrahere ignominiam quantam ex paeclarissimis oppugnationibus gloriam et ornamentum.

Quare ex nostris majoribus vobis nec deerunt fidei et pietatis erga Deum constantiaeque exempla nec (7) apud divinam clementiam in caelis patrocinia ii N. cum in eadem provintia in eisdem urbibus laribus atque sub eisdem prorsus tectis simili fuerint erunaram genere (*sic*) exagitati non dubium est quin causam vestram magno cum animi ardore et charitate apud divinam bonitatem agant ab illaque vobis summa atque egregia beneficia impetrant si et illis et vobis deesse nolueritis. Nec possumus nobis ulla ratione persuadere quod ab his quorum rebus religiose gestis merito gloriamini degeneretis aut illam quam in ipsis fidei constantiam comedatis ulla vi metuve abjiciatis. Quodsi propria conjunctioraque exempla magis movent eorum quidem quae pro vera et incorrupta fide servanda et amplificanda vos ipsi hactenus sustinuistis recordatio vos maxime in officio continere debet cum ea sint ejusmodi ut impiorum hominum oculis auribus atque sermone summo cum omnium applausu et gratificatione versentur. Nec etiam est hominis sanitas laborum certum et amplissimum premium inanis atque incertae quietis spe eludere.

Quocirca eisdem verbis quibus Divus Paulus hebraeos vario malorum concursu jactatos vos poterimus hortari. Rememoramini autem inquit pristinos dies in quibus illuminati (7 v.) magnum certamen sustinuistis passionum et in altero quidem opprobriis et tribulationibus spectaculum facti in altero autem socii taliter conversatum effecti. Nam et vinctis compassi estis et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio sustinuistis et accepistis cognoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam. Nolite itaque amittere confidentiam vestram quae magnam habet remunerationem. Patientia N. vobis necessaria est ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem. Nec dubitetis eadem qua Divus Paulus spe suorum vestras mentes erigere. Adhuc N. inquit modicum aliquantulumque qui venturus est veniet et non tardabit. Nam si omnium qui in his provinciis piam et vere christianam mentem divina misericordia conservant fides in medio errorum caligine sole illustrior et clarior extiterit magno et erecto animo nefariis legibus repugnaverint et ad omnia subeunda pericula firmum et excelsum retinuerint sperandum est quod ii qui apud vos rerum potiuntur legis severitatem remittentes vobis et templa restituant et vere catholicos religiosos que ritus permittant ad quam omnem expectationem viamque ocludetis si eorum impiis conatus pareatis. Cum N. Christi ecclesia nunquam infestissimis hostibus coruerit semper tamen evasit illustrior glriosiorque emersit (8) non viribus repugnando sed sustinendo fuit que hoc perenne Christi patientiae argumentum quod martirum tolerantia fuit semper tiranorum

vis et potentia compressa et collissa. Nam cum haec mala omnia non casu aut fortuna sed divino consilio et voluntate eveniant fieri non potest quin aliquoquin suorum non misereatur Deus et illorum rebus propiciat qui nulli nisi ipsi placere student ipsiusque solius honorem curant et charum habent. Quandiu vero haec bonitatis divinae et misericordiae lux non fulget certissimus laborum vestrorum fructus vos debet consolari. Si N. estis qui ut ait Divus Petrus apostolorum princeps in virtute Dei custodimini per fidem in salutem paratam revelari in tempore novissimo in quo exultatis modicum nunc si opus contristari in variis tentationibus ut probatio fidei vestrae multo pretiosior auro quod per ignem probatur inveniatur in laudem et gloriam et honorem in revelationem Jesu Christi quem cum videritis diligitis in quem nunc quoque non videntes credentes autem exultatis laetitia inenarrabili et glorificata reportantes finem fidei vestrae salutem animarum vestrarum. Cum igitur laborum vestrorum remuneratio non sit sub opinione dubia sed certa et explorata omne gaudium existimat cum in tentationes varias incideritis scientes quod probatio fidei vestrae (8 v.) patientiam operatur patientia autem opus perfectum habet ut sitis perfecti et integri in nullo deficientes. Quam tamen ut constantiam et firmitatem vobis Deus perpetuo conservet assiduis depreciationibus gemitibus et ejulatibus a divina clementia deposcite.

Haec sunt N. arma caelestia nobis a Deo donata quae stare et perseverare fortiter et animose faciunt.

Haec sunt divinae monitiones et tella spiritualia quae ab incursionibus et impetu Demonum muniunt et tandem ad filiorum Dei consortium perenne ducunt.

(A. E.)